

Matthias Stein

**Rector Academiae Rostochiensis, Mathias Stein/ J.U.D. ... Publico Hocce
Programmate Ad Eundum Exequias, Qvas ... Matronae Mariae Magdalenae
Obrechtiae, Viduus Moestissimus ... Joannes Fechtius, S. S. Theol. D. ... Hodie in
templo Johannæo paratas cupit, O. O. Cives Academicos humanissime invitat**


Rostochii: Wepplingius, [1704]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768679931>


Druck Freier  Zugang



Stein, M.,
in
M. M. Obrecht,
uxor. J. Fecht.
Rost. 1704.







75.
RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,

MATHIAS Stein /

J. U. D. ET COD. P. P. ORD.

PUBLICO HOCCE PROGRAMMATE

AD EUNDUM EXEQUIAS,

QVIA S
PRÆNOBILISSIMÆ OMNIQVE SUI SEXUS VIRTUTUM

APPARATU ORNATISSIMÆ,

M A T R O N Æ,

MARIÆ MAGDALE-
NÆ OBRECHTIÆ,

VIDUUS MOESTISSIMUS,

MAXIME REVERENDUS atq; EXCELLENTISSIMUS

D O M I N U S

JOANNES FECHTIUS,

S. S. THEOL. D. & P. P. FAMIGERATISSIMUS;

FACULTATIS SUE SENIOR GRAVISSIMUS, CONSIST.

RECKLENB. ADSESSOR & DISTR.

ROSTOCH. SUPERINTENDENS LONGE

MERITISSIMUS,

in templo Johanneo paratas cupit,

Q. CIVES ACADEMICOS

humanissime invitat,



R O S T O C H I I,

Typis JO. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC. & ACAD.

Typogr.



Itane tam tristi in causâ sub initium
statim humeris meis impositi Regimi-
nis Academici, Vos Cives O. O. H. allo-
quendi mihi estis? Itane luctuosum
ad officium præstandum primo omni-
um Vos advocare teneor? Nostis octi-
dium elapsum vix esse, cum à Theo-
logo per universum Literatorum orbem
celeberrimo, Maxime Reverendo atque Excellentissimo DN.
JOANNE RECHTIO, SS. Theol. D. & P. P. Facultatis suæ Senio-
re, Consistorii Ducalis Adfessore & Distr. Rostoch. Superinten-
dente, Viro de singulis officiis longe meritissimo, Collega &
Amico meo honoratissimo, sceptrâ Academica mihi traderen-
tur. Persuasus certissime sum, neminem Vestrum adfuisse,
qui non, quod maxima ejus in Academiam nostram merita
postulant, pro ipsius salute perpetua, proque totius ejus neces-
situdinis incolumitate vota secum fuderit. Meritus quippe est,
si quis unquam, cui fausta omnia, prospera, jucunda, læta vo-
veamus apprecemurque. Verum nunc ab eo ipsomet hocce,
non sine compassione communisque doloris affectu, ad Vos, pro
more hujus loci, scribere hæcce invitor. Qui enim hæc cuncta gu-
bernat, Deo Supremo, sortis, vitæ ac mortis humanæ arbi-
tro, grave ejus pectori infligere vulnus, visum; quod quo ma-
jus, eo vehementiorem ipsi dolorem animæque ejus majorem
tristitiam affert. Nam superioris septimanæ die Sabbathi, qui
mensis currentis decimus erat octavus, charissima ipsius Con-
jux, Nobilissima omniumque, quæ muliebrem sexum exor-
nant, virtutum concursu fulgidissima Matrona, *MA-
RIA MAGDALENA OBRECHTIA*, ad superos abire, Conjugi-
que, Filiis, nobis, mundo ultimum vale à Deo, cujus in mani-
bus dies nostri sunt, dicere jussa fuit. Quantum inde doloris,
quantum mæstarum querelarum enatum viduo sit, arctissimum,
quo junguntur conjuges, vinculum secum consideranti con-
jecta.

A

jecta.

jectare facile erit. Quantum item lachrymarum superstitum
Filiorum oculis obitus ille expresserit, haud esse ignotum iis
potest, qui vel matris de se bene merita jacturam deplora-
runt, vel de sua salute adhuc sollicitae curas atque vigilias de-
praedicare habent. Id enim natura omnibus implantavit, ut
quanto propius nos attingunt, quos amissimus, quantoque plura
ab eis in nos profecta merita sunt, tanto acerbius eorum lugea-
mus mortem. Quod si vero fati functa persona fuerit, quae
variis insuper eximiis exornata dotibus virtutes suas universis
commendavit, nec aliis contristandi materies deest. Ea quippe
pe virtutis est virtus, ut quorumcunque alliciat animos, sequere or-
natos gratos reddat omnibus summeque aestimatos. Quidni
igitur & nos *FECHTIAE* nostrae a nobis dicebimus doleamus?
Nullius equidem foeminarum laudi quidquam detractum volo;
attamen asseverare ausim, virtuosissimae uxoris abs Regum sa-
pientissimo Salomone Prov. XXXI. a v. 10. depictae veram vi-
vamque beate defunctam *NOSTRAM* gessisse imaginem. Qua-
lis cum fuerit, qui ejus vitae summa cum laude gesta, quo a-
liis sui sexus exemplo esse queat, qua incedendum ipsis via sit,
memoriam posteris tradamus, aequum omnino est maximeque
conveniens. Quem in finem felicem ejus in hunc mundum
ingressum, feliciorum in ipso progressum, felicissimum ex eo-
dem egressum, prout de iis abs Excellentissimo Viduo comper-
tum mihi est, brevibus delineaturus Vobis sum. Ad ortum
itaque pie demortuae *FECHTIAE* nostrae quod attinet, vitali hac
aura frui eadem coepit in celeberrima olimque libera Romano-
Germanici Imperii, hodie vero sub jugum Gallorum Regis
Ludovici XIV. redacta, Civitate, Argentorato, & quidem
Anno a reparata per Christum salute MDCCL. die IIX. Mensis
Martii. Ex Majoribus fama illustribus sanguinem traxisse si
laudi ducendum cuiquam est, *NOSTRAE* maxima in hoc ob-
tigit felicitas, utpote quae summorum in Respublicas, Eccle-
siasticam, Civilem & Literariam, meritorum celebritatisque
nullo tempore intermoriturae Viris natales suos debebat, Mar-
bachio;

bachiorum & Obrechtiorum, aut quanta nomina! propago.
Patrem habuit Virum Amplissimum & Consultissimum GEOR-
 GIUM OBRECHTUM, Jct. Delegati judicii Cameralis &
 Senatus Minoris Advocatum ac Procuratorem Ordinarium dex-
 terrimum, jam inter Cœlites degentem. *Matrem* vero exor-
 sculata est MARIAM MAGDALENAM MARBACHIAM,
 Matronam ornatu muliebrum virtutum exornatissimam, ad-
 huc hodie, quantum quidem constat, per DEI gratiam, in vi-
 vis superstitem. *Avus Paternus* ei contigit Vir Prænobiliss. ac
 Consultiss. ELIAS OBRECHTUS, ejusdem Civitatis quon-
 dam iudex fidelissimus. *Abia Paterna* fuit honestissima fœmina,
 ANNA Kießattlerin. *Proavus Paternus*, Vir Magnif. Consultiss.
 atque Prudentiss. HENRICUS OBRECHTUS, Republicæ
 Argentoratensis Consul gravissimus. Cujus uxor, NO-
 STRÆQUE adeo *Proavia Paterna* fuit Nobiliss. JOHANNA
 Schötterlin. *Abavus Paternus* ejusdem lineæ, Prænobilissimus
 Prudentissimusque THOMAS OBRECHTUS, Jctus ejus-
 demque Reipubl. Syndicus meritissimus. *Abavia vero Pater-
 na*, B. ELISABETHA Rothlin. Alterius autem lineæ *Pater-
 nus Abavus* B. N. extitit Magnif. atq; Prudent. WOLFGAN-
 GUS SCHOETTERLINUS, itidem in Argentoratensi Republ.
 Consulari munere olim præfulgens. Duxerat ille NOSTRÆ
Abaviam, Nobilissimam MARTHAM Reinboldin. *Abavum
 Paternum* prioris lineæ percepimus fuisse DN. MATTHEUM
 OBRECHTUM, à NICOLAO OBRECHTO sæpius Laudatæ
 Republicæ Actuario, *Tritavo NOSTRÆ*, prognatum, qui matrimo-
 nio sibi junxerat JACOBÆAM von Rothweil / ex Nobili
 prosapia oriundam. Posterioris lineæ *Abavus Paternus* fuit DN.
 WOLFGANGUS Schötterlin / cujus uxor MAGDALENA
 Stockin. Ad maternam autem lineam convertentibus
 non minorum sive meritorum sive nominum in eadem NO-
 STRÆ offendere Majores nobis licet. *Avum* siquidem *Mater-
 num* nacta ea est Virum plurimum Reverendum, Amplissi-
 mum ac Præclarissimum, ULRICUM MARBACHIUM,
 Ecclesiæ

Ecclesiæ Palæo-Petrinæ apud Argentoratenses Pastorem vigilan-
 tissimum. Et *Aviam* salutavit virtuosissimam fœminam JACO-
 BÆAM FELSIAM. Hinc *Proabus* ei ex uno latere fuit Summe
 Rever. atqve Excellent. PHILIPP. MARBACHIUS, SS. Theol.
 D. ejusdemqve in inclyta Argentoratensium Academia Professi.
 celeberrimus, Vir omni laude major, cui cum fratre, ERAS-
 MO MARBACHIO, Doctoratus Theologici decus contulisse
 Rosetum nostrum sibi gratulatur. Is NOSTRÆ dedit *Proavia-*
am, in conjugem sibi assumptam B. CATHARINAM HAUS-
 STEINIAM Præ-Nobilissimi Viri, DN. THOMÆ HAUS-
 STEINII, Austriae Super. Consiliarii Splendidissimi, Defunctæ
 NOSTRÆ *Abavi* filiam. Ex altero autem latere *Proavum*
 agnovit DN. JOANNEM FELZIUM, Qvæstorem S. Marci
 apud Argentoratenses. Cui uxor NOSTRÆQVE *Proavia*
 fuit Laudatissima WALTPURGIS Rosenbürgerin. *Abavus*
Maternus celebratur Vir multorum in Ecclesiam no-
 stram meritorum, maxime Rever. & Excell. JOHAN-
 NES MARBACHIUS, Theol. D. & in dicta Aca-
 demia Prof. Publ. longe meritissimus, nec non Conven-
 tus Ecclesiastici Præses gravissimus. Et *Abavia* URSULA
 Weislandin fuit. Deniqve & *Atavum Maternum* numeravit,
 Spectatissimum Virum WALTHERUM MARBACHIUM,
 Civitatis Lindaviæ Givem Primarium, cum *Atavia*, ANNA
 Salzmännin. Tam splendida ex familia qvoniã nasci con-
 tingerat pie defunctæ FECHTIAE nostræ, non poterant non qvi-
 libet firmam concipere spem, qvod una cum sanguine tot in-
 clytorum Majorum etiam virtutes in ipsam derivatæ fuerint.
 Neqve vana ea aut frustranea spes fuit, sedula optimæ Matris
 cura & educatione accedente. Atqve sic omnino dubitandum
 videtur, numne ingressus ejus in hanc vitam felicitatem in ea-
 dem progressus felicitatem superaverit? Nam honestis Parenti-
 bus ortum debere magnum est, majus, si Laudis gloria etiam
 apud posteros conspicui illi sunt, maximum autem omnium,
 qvando eorum in nos propagatæ virtutes sunt. De singulis iis
 gratu-

gratulari fibimet Macarites nostra potuit. Parentes enim suis virtutibus satis fulgentes recens natæ sollicitam in se receperunt curam. Primo omnium Christo eandem offerri ejusdemque Ecclesiæ inferi per Baptismum curarunt, in cujus recordationem nomen *MARIAE MAGDALENÆ*, quo & Mater utebatur, ipsi impositum voluerunt. Postmodum cum annis cresceret, DEI agnitionem & reverentiam, ceu vera veræ & non fucatae pietatis fundamenta præcipue eidem instillarunt, nec omittentes quidquam eorum, quæcunque sexum sequiorum condecorare ullo modo possunt. Quo autem tenellæ ætati magis meliusque semper prospiceretur, curæ propriæ Parentes adjunxerunt Præceptores domesticos, quorum sub ductu non in pietate solum, sed reliquis etiam virtutibus omnibus ita profecit, ut vel in ipsa quoque adhuc infantia ad summam earum ascendisse culmen censeretur, adultæ ætatis non paucas superare visa. Fuit inter eos, quod non adeo multis concessum, iose ipsius postea maritus *FEGHTIUS* noster, qui per integrum sexennium ad Annum usque ætatis XII. eandem formavit instituitque. Cognoverat ille penitus per hocce tempus ingenium ejus moresque, in quibus jam tum temporis delectationis non parum persenserat, hinc redux ex Academiis Saxonice factus, postquam Ecclesiæ, quæ Langendentzlingæ in Marchionatu Hochbergico Christo colligitur, Pastor præfectus erat & constitutus simul Synodaliū Conventuum Præses, eandem matrimonio sibi conjunxit. Factum id Argentorati in summo templo, manum novis Nuptis imponente Lic. Balthaf. Frider. Saltzmanno, die XVII. Octobr. Anno MDCLXVII. Secuta hinc maritum primo Langendentzlingam; dein, vix semestri elapso spatio, Durlacum, quorsum tum primum ad Diaconatum Aulicæ Ecclesiæ nec non Professionem Metaphysicæ Lingvæque Ebrææ in Gymnasio ibidem florente abs Serenissimo Marchione Badensi ille evocabatur. Quam suave admodum dulceque horum Conjugum conjugium fuerit vel heic loci etiam cernere nobis licuit. Idem velle idemque

idemque nolle firmam parere amicitiam dicitur : Conjugum vero horum una videbatur anima esse, una duorum voluntas. Nunquam inter sese reconciliatione opus habuere, nec mutuus amor redintegrationem unquam poposcit. Ipsi sane conjugii auctori Deo beneplacitum in hoc matrimonio fuisse, nulli dubitamus. Quapropter benedictionem divinam experti sunt, siquidem BEATA NOSTRA sena prole mascula, unaque sequie oris sexus, maritum suum fecit Parentem. Ex quibus tamen duo Filii primogeniti, JOHANNES FRIDERICUS & CHRISTIANUS GERHARDUS, unâ cum Filia unica, REGINA MAGDALENA, matura hinc morte decesserunt. Superfunt AUGUSTUS MAGNUS, post pertractata in hac nostra & Halensi Academia Juris Studia & absolutam per Germaniam superiorem, Galliam, Angliam & Belgium peregrinationem, in id intentus, ut conquisitas animi dotes in publici egregii ornamentum explicare possit; JOANNES CAROLUS, aurifabrilis arti deditus & nunc Romæ in Italia ejus exercitio incumbens; ERNESTUS HENRICUS, Medicinæ Doctor & Practicus Sverinensis felicissimus; & GVSTAVUS FRIDERICVS, Philologiæ Studiis in Academia nunc Lipsiensi laudabili cum industria addictus. In qua optimorum Filiorum Quadriga uti Mater maxima sibi gaudia quæsiuit quæsitæque invenit; ita largam cœli benedictionem eidem apprecamur, & ut mœstissimo Parenti, præsentis cum primis in mœrore, solatio sit gaudioque vovemus. Ad BEATAM NOSTRAM autem ut revertamur, vidistis hæctenus, Cives Optimi! felicem ejus fuisse vitæ progressum. Verum enim vero sicuti omnia humana sunt, quibus nihil reperitur inconstantius; ita nec defuerunt quæ isthanc felicitatem infelicitate quasi temperarent. Neque Supremum Numen semper illis vult bene esse, quos diligit. Hinc dura quoque fata experiri NOSTRAM oportuit. Etenim cum Anno M DC LXXXIX. Gallicani militis sævitia, exusta urbe Durlaco, quotquot oppidum incolebant, pellerentur in exilium, nec jacturam tantum
quævisis

quisvis faceret rerum suarum, sed in summa quoque indigentia perambulare sylvas & valles; famem sitimque pati, neque tamen, ubi caput reclinaret, invenire posset; ipsa quoque beate DEFUNCTA fatalem hanc calamitatem summa patientia tolerabat. Cum vero inter hæc, DEO providente, maritus ipsius in remota hæc à patriis sedibus loca, à Serenissimo Principe ac Domino, DN. GUSTAVO ADOLPHO, Duce Mecklenburgensi &c. Domino nostro quondam longe Clementissimo gloriosissimæ memoriæ, vocaretur, hunc divinæ voluntatis nutum agnovit & secuta est. Quam autem sese apud nos gesserit, testari quivis poterunt. Profecto, in Gente, cujus & lingua & mores incogniti ipsi fuerant, ita vixit, ut & res Familiæ suæ strenue curaret & amicitia vinculo cum iis coalesceret, cum quibus negotium illi aut familiaritas aliqua intercessit. Prima ejus cura fuit, ut familiam recte constitueret, restauraretque res ipsius, partim militum rapinis, partim domus incendio, partim exilii injuria, partim itinerum longinquitate detritas, imo prolapsas. Itaque summam dedit operam, ut quasi de novo surgeret domus, iis instructa rebus, quæ vitam redderent faciliorem. Cui rei efficiendæ nulli operæ, nulli labori pepercit, nequidem illas, ceu ipse DN. Viduus ad me scribit, molestias defugiens, quibus supponere humerum infimæ fortis ancillæ tergiversarentur. Quo negotio confecto, ut marito bene esset, liberique ad pietatem, ad honestam vitæ conversationem, ceteraque veræ laudis argumenta educarentur, omni nisu studioque contendit. Quas in res tantam curæ laborisque constantiam posuit, ut & sui corporis, suæque valetudinis oblivisceretur, non à deliciis tantum omnibus, sed & à voluptate omni & recreatione, quantumlibet licita, longe remota. Suæ unice domui erat inclusa, voluptatum omnium, quæ carnem titillant, ignara. Quare & pompam omnem & luxuriam sive in vestitu sive in reliquo victus genere, ut omnes norunt, non devitabat tantum, sed odio etiam & aversatione quadam nativa prosequabatur. Mariti vero quam gesserit

ferit curam, in primis ubi familiaribus corpori suo morbis afflicta-
 batur, ne verbis quidem ullis describi potest. Argumento
 est acerbus ille mœror, quo is senex ex frequenti ægritudine Vi-
 ribus prope omnibus exhaustus, animum hoc tam tristi fato
 dejectum non conficit solum, sed & lacerat atque propemodum
 enecat. Quorsumcunque ille circumfert oculos, ex disces-
 su mellitissimæ Conjugis, tanquam fidissimæ corporis sui cu-
 stodis, omnia deserta sunt, horrida sunt. Nec pro tam sancta,
 quam circa illum gessit, sollicitudine quidquam se ei referre
 posse profitetur, quam animum tam cari tanque pretiosi sibi
 pectoris memorem & quotidianos lachrymarum imbres, qui-
 bus exuvias ipsius, in medio templi D. Johanni olim dicati que-
 rituras, quoad usque vixerit, est perfusus. In eo solo hac in
 orbitate solatium se suum quæsiturum esse ait, quod exacta jam
 ætate & prostratis corporis viribus brevi speret, & animæ se
 charissimæ uxoris in cælo & corpori in destinato suo suorumq;
 funeri sepulcro, DEO providente conjunctum iri. Eas ob
 causas longiorem dulcissimæ Conjugi suæ vitam ipse precatus
 quotidie est, quam & eidem omnes, quotquot huic tantorum
 meritorum Theologo bene cupiunt, optarunt. Nam
 quo pluribus pariter ac gravioribus obnoxium incommo-
 dis senium esse solet, eo magis sollicita quacunque
 cura opus habet. Nunc vero gravissimus Senex noster debi-
 lis sui corporis viriumque pene enervatarum tam prudentissi-
 ma quam fidelissima Curatrice, eheu! orbus existit. Ecquis
 vestrum est, Cives Honoratissimi! qui non condoleat? qui
 non ob luctuosa FECHTII nostri fata contristetur? Dum pars
 portioque cordis potissima erepta ipsi est, omnis ei lætandi ma-
 teria periisse ferme videtur. Hinc illæ lachrymæ! Sed vide-
 amus jam B. N. è vita mortali egressum. Felicissimus ille fuit,
 utpote cum ipsa ex hac miseriarum valle in istos æterni gaudii
 campos per eundem pertransiit. Quotidiana comprobatum
 experientia est, per aspera nobis ad ardua contendendum esse
 & hominem mortis acerbiter degustare antea oportere,,
 B quam

quam æternæ beatitudinis dulcedine frui queat. Ita morbis
quidem affectum corpus aliquot per annos NOSTRA circum-
gestavit, id vero effecit, ut dissolvi, cum Paulo, cuperet esse
que cum Christo, ac plauda tandem morte defungeretur. Au-
diamus ipsum Excellentissimum Viduum hæc nobis referentem:
„Quadriennium prope est, ex quo tussi ita vehèmenti atque ef-
„ferato quassata atque adflicta fuit, ut cum antea nunquam un-
„quam fuisset ægro corpore, semper disposita optime & firma
„omnium virium affectione, non posset non mali quid metui
„& periculosi. Quod & postea opere ipso ita fuit animadver-
„sum. Rediit enim integro post anno gravedo, minore quidem
„ferocia, sed longiore temporis mora perdurans. Ex quo
„respirandi exorta est difficultas. Quæ duo mala cum nun-
„quam penitus intermitterent, tertio anno continua facta &
„languorem corporis semper majorem & carnis vividæ con-
„sumtionem induxerunt, ut postremo *σκληρεύματι* similior,
„quam vivo corpori redderetur. Atque ita ægrum difficilem-
„que spiritum integro fere anno traxit, donec exarescerent
„prorsus vires, & discederet potius placidissimo motu anima,
„quam extruderetur. In hoc morbo, lento quidem sed recto
„passu ad mortem procedente, unica defunctæ meditatio fuerat,
„ut Christiano se ritu ad abitum pararet. Quare noctes dies-
„que omnes eo dirigere cogitationes, legere destinatos sacris
„cum Deo collocationibus libros, preces ad cælum fundere
„ardentes, hymnis canticisque fiduciam suam in Servatorem
„Christum testari, omni que conatu id agere, ut Deo suo etiam
„in hac vita magis magisque conjungeretur, quò in altera au-
„ctiori longe & indissolubili nexu eidem copulari posset. Quod
„ne prostratis jam viribus & lectulo frequentius affixa remis-
„sione cum terrore faceret, fida & indefessa ægri corporis cura
„trix effecit, quæ eidem & legendo & orando & canendo præi-
„vit, ipsa vel suspirio, leni vocis motu, prout difficilior jam
„breviorque per p̄thesis factus Spiritus id ei permittebat, secuta
„est. Cum & frequenter ipsam, etiam in lethali lecto, in-
viferet

viferet sollicitus animæ B. defunctæ curator, Venerandus Mini-
sterii Rostochiensis Senior, DN. D. JOH. MAURIT. POLZI-
US, colloquiis sacris non summa tantum cum devotione,
semper attendit, sed singulari etiam solatio refecta est. Quo,
in pio exercitio ad extremum usque vitæ halitum,
Cathariunculam suam ad prælegendum subiade invitando,
perseveravit, sicque cum nec unquam de ullo dolo-
re esset conquesta, eidem obtigit, ut dormire potius,
quam efflare animam videretur. Hic vitæ finis felicissimus,
eidem contigit dicta luperius die post horam quartam anteme-
ridianam. Atque sic, à quo eam acceperat, animam DEO
suo reddidit. Nunc superatis terræ hujus ærumnis, cœlestia
perferunt gaudia. Devictis, qui Christianis insidias struunt,
hostibus, æternum triumphat. Constante ad finem usque
fidelis permansit, jam igitur corona vitæ imposita capiti ejus
est. Christo heic firmiter adhaesit, & nunc sine termino ejus
amplexibus fruitur. Maritum terrestrem deseruit, cœlesti
sponso copulata. Mors eam vitæ eripuit, immortalem au-
tem nacta est vitam. Vitam vivit, in qua mors ultra non erit,
neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra, quod ipse
Johannes ex Spiritus divini afflatu scripsit, Apocal. XXI. 4.
Hæc igitur Venerande *FECHTI!* solatio Tibi sunt. Non exi-
guam Tibi dolendi, lugendi, lachrymandi causam esse, qui ne-
get, nemo est, Verumtamen sit modus tandem dolori, desinat
denique luctus, cohibeantur lachrymarum flumina. Optime
est amantissimæ *MARIÆ MAGDALENÆ* Tuae: quid ei feli-
citatem cœlestem invidere videri velis? Ipsemet istiusmodi,
quo nunc ego defungor, descriptionis genere alijs efficacia at-
tulisti solatia, quæ Tibi hoc in casu ipsi à Tete dicta reputes.
Quæ ut in Pectore Tuo confirmet Spiritus ille solatii, voveo
B₂ atque

atque precor. Ad vos vero, Cives Academici! quod super est, iterum me converto. Cum funus pie defunctæ efferendum hodie sit, ut ad ipsum confluatís ultimumque humanitatis officium ossibus ejus persolvatis, Vos, quæ fas est humanitate, rogatos volo. Debetis id ipsum virtutibus Matronæ virtuosissimæ. Debetis ipsum meritis Excellentissimi Theologi. Debetis ipsum Vobismetipsis, ut ex morte hujus viventes mori discatis, quo æternum vivatis.


Valete!

*P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. 24. Octobris
Anno MDCCIV.*

Conventus fiet in templo Jacobæo hora I.
pomeridiana.



gratulari sibi met Macarites nostra potuit. Parentes enim suis virtutibus satis fulgentes recens natae sollicitam in se receperunt curam. Primo omnium Christo eandem offerri ejusdemque Ecclesiae inferi per Baptismum curarunt, in cujus recordationem nomen *MARIAE MAGDALENAE*, quo & Mater utebatur, ipsi impositum voluerunt. Postmodum cum annis cresceret, DEI agnitionem & reverentiam, ceu vera verae & non fucatae pietatis fundamenta praecipue eidem instillarunt, nec omittentes quidquam eorum, quae ad hunc finem sexum sequiorum condecorare ullo modo possunt. In tenellae aetatis magis meliusque semper profectum, propriae Parentes adjunxerunt Praeceptores, qui sub ductu non in pietate solum, sed et in scientiis omnibus ita profecit, ut vel in ipsa aetate ad summam earum ascendisse culmen, et in illis casibus superare visa. Finito studio, in sexennio integro sexennium aetatis, in quo non solum inchoavit instituitque. Ceterum ingenium ejus moresque, in lectationis non parum profectum. Saxonice factus, postquam in Marchionatu Hochbergico Christianus erat & constitutus simul Synodice, eandem matrimonio sibi conjunctus, in summo templo, manu novis N. Balthas. Frider. Saltzmanno, die XV. Febr. Anno MDCLXVII. Secuta hinc maritum primo conjugentzlingam; dein, vix semestri elapso spatio, Durlacum, quorsum primum ad Diaconatum Aulicam Ecclesiae nec non Professionem Metaphysices Linguaeque Ebraeae in Gymnasio ibidem florente abs Serenissimo Marchione Badensi ille evocabatur. Quam suave admodum dulceque horum Conjugum conjugium fuerit vel heic loci etiam cernere nobis licuit. Idem velle idemque



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
W
X
Y
Z

A
B
C
D
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
Focus
O
Balance
Q
R
S
T
U
V

mmam parere amicitiam dicitur : Conjugum
videbatur anima esse, una duorum voluntas.
esse reconciliatione opus habuere, nec mutuus
tionem unquam poposcit. Ipsi sane conjugii
olacitum in hoc matrimonio fuisse, nulli dubi-
opter benedictionem divinam experti sunt, si-
NOSTRA sena prole mascula, unaqve seqvig-
um suum fecit Parentem. E quibus tamen
eniti, JOHANNES FRIDERICUS & CHRI-
RHARDUS, unà cum Filia unica, REGI-
ENA, matura hinc morte decefferunt. SU-
JUSTUS MAGNUS, post pertractata in hac
Academia Juris Studia & absolutam per Ger-
em, Galliam, Angliam & Belgium peregri-
ntentus, ut conquisitas animi dotes in publi-
tum explicare possit; JOANNES CARO-
arti deditus & nunc Romæ in Italia ejus excer-
ERNESTUS HENRICUS, Medicinæ Do-
s Sverinensis felicissimus; & GVSTAVUS
Philologiæ Studiis in Academia nunc Lipsien-
ndustria addictus. In qua optimorum Filio-
i Mater maxima sibi gaudia quæsiuit quæsi-
largam cœli benedictionem eidem appreas-
iffimo Parenti, præfenti cum primis in mœro-
audioque vovemus. Ad BEATAM NO-
at revertamur, vidistis hætenus, Cives Optimi!
e vitæ progressum. Verum enim vero sicuti
ant, quibus nihil reperitur inconstantius; ita
æ isthanc felicitatem infelicitate quasi tempe-
ipremum Numen semper illis vult bene esse,
ne dura quoque fata experiri NOSTRAM
m cum Anno M DC LXXXIX. Gallica-
, exusta urbe Durlaco, quotquot oppidum
erentur in exilium, nec jacturam tantum
qvivis